Quid igitur restat Audit: ut cum talibus viris respublica Christiana indigeat et ut habere possit nisi ut ad academias unde tam docti quam pij tam modesti quam boni redeunt transmittantur. Quapropter Auditores ornatissimi cum academiae sint ingeniorum theatra in quorum scenis totius orbis terrarum spectatoribus ostenduntur adolescentum virtutes, quis est qui dubitare audeat ibi omnium studiorum artes triumphare, et iuvenum animi gloriosissimè exerceri? Ubi singuli ad altissima quaeque extolluntur, ubi sanniis pigrorum ingenia exacuuntur applauditur studiosissimis despiciuntur ignavi ingenui suspiciuntur: ipsa gloria torpentes excitat, festinantes urget, invitat infimos summos coronat, subsidentes erigit anhelantes ad sapientiae coelos infatigabilis comitatur. Ubi ~~de~~ denique omnium ad sapientiae terminos contendentium cursus aut allicit aut urget aut etiam invitos rapit, quae omnia cum in academijs reperiantur sententiam proferre nolo, expecto è vobis quid sentiatis quorum cum in fronte exundantis hilaritatis alacritas sententiam vos pronuntiaturos indicet ego ~~fine~~ finem dicendi facio Academiarum vero consensu gloriosissima et longe amplissima encomia audituros.

Dixi